

CODICES HERMENEUTICI.

CIX.

U. 86

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. ineuntis, Folior. 188. 4. bene scriptus, olim *Joh. nostri Cuspiniani*, ut Thecae anteriori inscriptum ejus *Μονογραμμα* literis

CMP, id est, *Cuspinianus*, *Medicus*, *Poeta*, constans, et subje-
cti ejus manu Versiculi sequentes
declarant:

Scire cupis, cuinam liber ipse ego seruo seruus?

Dicere si possem, lingua parata foret.

Tu tamen hoc triplices monogrammate disce figuras,

Quis sine me domini nomina scire potes.

Hic quondam musas, medicam sed nunc colit artem;

Has artes Phoebi Cuspinianus amat.

Ab hoc porro Viro a. 1529. e vivis sublato ad *Joh. Fabrum* Ep. migravit teste Nota Thecae posticae. Quae vero continet, sunt: I. *Aristeas de LXXII. Interpretum Interpretacione Ad phi-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

locratem fratrem per Matthiam Palmerium e greco in latinum ver-
sus. Praemittitur Interpretis hujus, Secretarii Apost. a. 1483. defun-
cti, Pisani, non, ut Fabricius Bibl.
gr. L. III. C. 12. p. 317. Vicen-
tini,

mini, Epistola ad Paulum II. Pont. quae incipit: *Cum et antea semper B. Pontifex intellexerim S. tuam in perquirendis maiorum nostrorum splendidis gestis mirifice oblectatam, et nunc quo amplior sis, eo maiori quoque, ut par est, studio excellentium Virorum magnifica queque perquirere &c.* Initium vero Opusculi ipsius est: *Cum permagni semper feceris Philocrates cuiusque rei cognitionem &c.* Et finis: *pulcherrimum inter nos certamen amoris excitetur. Vale.* Subjecit Possessor: *Ο ἰωάννης κουσπινιανὸς ἱατρός καὶ ποιητὴς ἐγγράφε* Anno M d VI 6^o idus septembres In Gmunden. Quod Salinarum super. Austriae ad Trunum fl. et lacum sibi cognominem Opidum aut feriarum autumnalium, aut medicae praxeos ergo petierit. Excusa porro Versio Aristeae Palmeriana jam fuit Romae a Conr. Schweinheim et Arn. Pannarz a. 1471. ante Biblia f. non vero ante eadem Norimb. ab Ant. Koburger 1475. f. ut relatum fuerat Fabricio l. cit. utraque enim mihi objacent. Quae circa ejus *σοφείαν* a Doctis ventilata sunt, habes apud eundem mox cit.

II. fol. 34. Q. Septimi Florentis Tertulliani Carthaginensis de carne christi Liber incipit feliciter. Praemittuntur initia reliquorum etiam Tertulliani Operum, omnia Cuspiniani ipsius manu, nam, quod aere pararet, typis excusum eo tempore nihil erat Tertulliani praeter *Apologeticum*, unde mirere virorum eruditorum laboriosam operam, quam tamen il-

lud conpensabat, quod ejusmodi descriptio adtentam lectionem valeret. Incipit porro Tractatus: *Qui fidem resurrectionis ante istos sadoceorum propinquos sine controversia moratam student inquietare &c.* et edit. Rigaltianam Paris. 1675. p. 307. bene aemulatur. Ultima sunt: *quale fuerit quod in christo resurrexit.*

III. fol. 74. p. 2. Eiusdem Tertulliani de carnis resurrectione liber incipit feliciter. Etiam in edit. cit. p. 325. priorem excipit hoc initio: *Fiducia christianorum resurrectio mortuorum. illam (illa) credentes sumus, hoc (hanc?) credere veritas cogit &c.* Et fine: *usquequaque potando refrigerabis.* Textus, uti prioris, sat sincerus.

CX.

Codex membraneus lat. Sec. E. 7 XV. Folior. 87. f. per duas columnas luculente exaratus, rubricis distinctus, et postquam Episcopatus Brixinensis, ut Insignia p. 1. subiecta produnt, olim fuisset, illustri Herois Eugenii de Sabaudia *κτῆμα* hoc titulo est: *Tractatus de differentia nostre translationis ab ebraica littera veteris testamenti Nicolai de lira.* Vir hic inter sacros Interpretes semper cum reverentia nominandus, de quo fontes collectos habes in Fabricii *Bibl. med. Lat. L. XIII. p. 114.* patria Normannus fuit, ut docet ejus Epitaphium in magno Conventu Fratrum Minor. Parisiis, cujus disticho:

Nulla